

4. Aliorum utique misereri, alios indurare, scilicet ex justo iudicio punitivo, ob reiectionem omnium mediorem salutis, Rom. IX, 16. 17. 18. Joh. XII, 39. 40. Luc. VII, 30. Act. XIII, 46. neminem autem absolute damnare decrevit, Marc. XVI, 16. Propterea etiam alii (fideles) vocantur vasa misericordiae; alii (infideles) vasa irae, Rom. IX, 21. 23. Aliquos (scilicet finaliter credituros in Christum) Deus ab aeterno amavit specialiter; aliquos (scilicet quos in fide non perseveraturos, praevideit) ex odio iusto reprobavit, Rom. IX, 11. 13. Matth. XXIV, 13.

5. Cum damnari plurimos, testatur Scriptura, indicat illa simul causam damnationis, incredulitatem videlicet finalem, Matth. VII, 21. 23. 1. Joh. III, 23. Matth. XX, 16. Marc. XVI, 16.

6. Christus quidem dicitur positus in casum multorum, Luc. II, 34. & verbum est quibusdam odor mortis ad mortem; 2. Cor. II, 15. 16. non aliter tamen, quam per accidens, ob scandalum acceptum, Matth. XI, 6. 1. Cor. I, 23. ob malitiosam verbi reiectionem, Jes. XXVIII, 12. Jer. VI, 16. Joh. XII, 48.

7. Hinc dicuntur etiam filii perditionis, quibus locus paratus, Joh. XVII, 12. Act. I, 25. vasa compacta ad interitum, Rom. IX, 22. praescripti ad damnationem, Judae vers. 4.

8. Nullis negat Deus media salutis (ergo nec salutem) v. g. verbum suum, Ps. CXLVII, 20. Act. XVI, 6. conf. Rom. III, 1. 2. 29. Cap. X, 18. cognitionem mysteriorum, Matth. XI, 25. Cap. XIII, 11. confer. 1. Tim. II, 4. fidem, Joh. X, 16. 2. Thess. III, 2. conf. Actor. XVII, 31. Rom. III, 30. preces Christi, Joh. XVII, 9. conf. 1. Tim. II, 5. 6. 1. Joh. II, 1. 2.

9. Utiq; electi sunt aliqui, scilicet fideles usque ad mortem, qui non confunduntur, Rom. IX, 33. ceteri vero, ex justo Dei iudicio punitivo, sunt reprobati, quorum nomina, propter infidelitatem finalem, non sunt scripta in libro vitae, Apoc. XIII, 8. Cap. XVII, 8. XX, 15, conf. Joh. VI, 64. Rom. IX, 32.

CAPVT IX.

DE STATV HOMINIS ANTE LAPSVM.

Pag. in. 55. Aphorismus 2.

Anima hominis non propagatur ex traduce.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Licet Deus Pater spirituum dicatur, contradistincte a Patribus
car-